DOMINICI ARUMAEI, ... DISCURSUUM ACADEMICORUM AD AUREAM BULLAM CAROLI 4...

Dominicus Arumäus, Justinus Schelhase, Valenti Gonzaga

VIRO

AMPLISSIMO ET SPECTATISSIMO

DN. PETRO FREJSLEBEN/Illustrissimorum & Celsissimorum Principum ac Ducum Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium &c. Lineæ Altenburgensis Quæstori Eisenbergæ fidelissimo & meritissimo, Patrono & Promotori meo omni animi observantiâ æternùm devenerando,

Discursum hunce Academicum

In

Debitæ gratitudinis Symbolum

Dico

&

Dedico

Justinus Schelhasius

Respondens.

AD PROOEMIUM

THESIS

I.

An jus Publicum in Academiis tractari debeat?

Sunt, qui id propterea negant 1. quia Jus Publicum per L. Regiam sublatum est, *Revard. 5. varior. 12.* Unde 2. Privatis privata jura sufficere putant, & ideò 3. de Principum Juribus disputare non licet *l. 3. C. de Crimin. sacrileg.* 4. quia periculosum est contra illos scribere, qui possunt proscribere, nec tutum disputare, qui possunt amputare, aut etiam eos refellere, qui possunt expellere; vel iis aliquid movere, qui possunt removere, aut opponere qui possunt deponere. Verùm iis non attentis, affirmamus, nam cùm Jus nostrum aliud Publicum, aliud Privatum sit *l. 1. ff. de just. & jur. §. fin. inst. eod.* Illud verò definiatur, quod ad statum rei Romanæ spectat. Hoc verò, quod ad singulorum utilitatem pertinet *d. l. 1. & §. fin.* minimè Juris Publici cognitio illos, qui se juris studiosos, quo nomine JCti modestè honorantur in *l. 1. ff. de offic. adsess.* profiteri satagant, effugere debet. *Heig. l. 1. quæst. 11. n. 1.* nam cum publicæ rei directio ipsorum discretioni committi solet, utique si non quis status ejus sit, quibusve mediis ad eum devenerit & conservari possit, absque eo in sequiorem deflecti valeat, in promptu teneant, neutiquam summæ rei utiliter consulere poterunt; ad illa ait *Livius lib. 1. histor.* quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusve artibus domi militiæque & partum & auctum Imperium sit, ut mirari non injuriâ liceat, Nostrates magno molimine, quæ privatorum [illegible]rum suarum directione potestas sit, explicâsse, ne per transennam verò, quæ Imperatoris, Electorum, Principumque in Imperio effulgeat sublimitas,

89

limitas aspexisse. Pars laboris non minima habita fuit originem Testamentorum, Emphyteuseos, Stipulationis, Actionum, similiumque inquirere, at neglecta & tenebris obducta Electorum, Principum, aliorumque origo latuit, magnis voluminibus de Jurisdictione Veterum, eversæque Romæ disputatum, præsentis verò Romano-Germanici Imperii ejusdemque statuum Jurisdictionem delineare, cura nulla fuit; societates privatorum magnis laboribus explicârunt; sed fœdera, societates, confraternitates Principum, aliorumque statuum neglectæ, quod non quidem materiæ subtilitate aut nostrorum hominum hebetudine, sed juris privati repræmiatione magis obviâ factum opinari licet, quâ cùm nostri temporis egregios viros non tangi, sed materiæ ingenti splendore erigi cerneret *Magnificus & Nobilissimus* Dn. D. *Præses*, eorum imitatione Auream Bullam continuo commentationis filo illustravit & pleraque ex integro commentario in disquisitionis aleam conjecit, deque iis publicitùs, ut veritas dictatorum magis magisque effulgeat, alterâ hac vice conferre constituit.

II.

Decetque omnes, quorum campus literarius est seges & materies gloriæ, in revolutionem Bullæ nostræ nobiscum se convertere: nam præterquam quòd firmissima Romano Germanici Imperii petra sit, super qua etiamnum Majestas & Pax ejusdem tutò quiescit, compendiosam quoque Juris Publici inductionem continet, siquidem non solùm sublimium Electorum prærogativam & sessionis inculcat ordinem; verùm etiam pleraque ad ipsius Imperii statum & tranquillitatem pertinentia insinuat.

III.

Cujus promulgatione Carolus IV. maximam laudem adeptus est, ait *autor append. ad Sext. Aurel. Vict.* ut ejus intuitu minimè pœnitendus Imperio Princeps censeri possit *Fabr. l. 6. Orig. Saxon.* quanquam negari nequeat, ab illo Imperium ita initum & administratum, ut multis in rebus boni Principis &

pa-

partium amantis officium in eo desiderari possit. Verùm, ut *Tacit. l. 4. histor.* loquitur, Principes boni voto quidem expetendi, qualescunque tamen tolerandi. Sanè etsi in Carolo non injuriâ multa reprehensionem mereantur: tamen ut Princeps sermone affabilis, accessu facilis, vultu quo maximè populos demulcere poterat, amabilis, æquis propensus, iniquis acerbus, literarum & literatorum fautor meritò calculum scribentium tulit *Benevent. de Rambold. in suo August.* imò eò usque in literarum cognitionem devenit, ut primus Cæsarum nonnulla Evangelia scripto interpretatus sit, *Dubrav. l. hist. Bohem 22 in princ.* Vir profectò religiosus, inquit Cuspianus in ejus vita, & qui in quinque lingvis erat expeditissimus. Nam Italicam, Gallicam, Alemannicam, Bohemicam & Latinam callebat, juris quoque amans fuit, ut testatur *Dubrav. d.l. 22.* & certissimo argumento est præsens Bulla.

IV.
Cur Aurea Bulla vocatur?

Quia majore Imperatoris sigillo, quod negotiis gravioribus appendi solebat, munita fuit, ut enim in quotidianis vel sigillum vel annulus, ita in gravioribus Bulla adhibita fuit. Et ut in Pontificum plumbea, sicut videre est ex *lib. 1. sacrar. cerem. Ecclesiæ Roma c. 2. in fin.* ita Imperatorum concessionibus & sanctionibus gravioris momenti aurea appendi consvevit, cujus vel adspectus solus immensum quiddam majestatis et gloriæ contemplantibus ingerit & venerabundos cogit summi Imperii & veteris Romæ atque aurei seculi meminisse, ut *Franc. Petrarcha* de oblata Comitiva sub Aurea Bulla alibi loquitur. Sanctio itaque ipsa synechdochicâ denominatione Aurea Bulla ab ejus appensione appellatur, Carolus Imperator, inquit *Trith. in Chron. Hirsav. Anno 1356* Bullam dictam Auream, quia sigillo sit aureo roborata, conscribi fecit, & *Albert. Crantz lib 9. c. 29 in Saxon.* multa, ait, constituens, quæ usque in hodiernum observantur & aureo sigillo desuper literas decernens, appellari jussit constitutionem Imperialem, Bullam Auream. Hinc Bullare nihil aliud est, quàm sigillare, *Petrus de*

Vi-

Vineis Epist. 21. lib. 1. existens ipse, ait, Bullator & scriptor & forsan numerator. Hacque ipsa de causa Dd. Bullati, quòd literis Bullatis & non Academico examine gradum adepti sint, appellantur.

V.

Cujus occasione quæritur, An Doctores Bullati privilegiis eorum, qui in Academiis promoti sunt, frui debeant? Affirmamus, licet magno consensu id Nostri negativè decidant, ut apparet ex iis, quos citat *Matth. Coler. p. 2. c. 3. n. 155. de Process. execut. Jacob Benius p. 2. n. 6. de Privilegiis JCtorum. Rutger. Ruland. l. 1. c. 14. n. 8. de Commiss.* quorum argumenta si excutere libeat, parùm negativæ opinioni præsidii ex iis affulgere deprehendemus. Hi non præsumuntur, ait *Rutger. d. l.* habere talem scientiam, quia non sunt publicè examinati, requiritur autem examinatio super scientia, *arg. l. magistros C. de Profess. & Medic. Menoch. lib. 2. quæst. 126. n. 18.* Verùm in eo argumento id, quod planè falsum est, assumitur. Constat enim ex literis Comitivatum non aliter solere à Cæsarea Majestate Comitibus Palatinis facultatem Doctores renunciandi, quàm prævio examine adjunctis ad minimum duobus vel tribus Doctoribus (dispositio enim *l. 10. C. de Profess.* ab aula recessit. *Benius p. 1. priv. 11. n. 4.*) concedi, ut argumenti inversio non spernendum affirmativæ fundamentum præbeat. Si enim is, qui publicè examinatus est, cœteris paribus rectè gradum Doctoris suscipit, & rectè is eo, qui Bullatus dicitur, ornari poterit, quia utique publicè & in præsentia aliquot Doctorum eum examinari volumus, nec examine hoc prætermisso ad eundem aditum ei concedimus. Progreditur *Rutger.* Deindè multa solennia, ait, necessario in actu Doctoratus requisita, 1. ut finito examine confirmetur. 2. ut pileus capiti imponatur 3. ut in cathedram collocetur. 4. liber clausus & apertus ei porrigatur. 5. annulus digito inseratur 6. osculo dimittatur. Verùm nequicquam hoc quoque stringit fundamentum, quia Comiti Palatino suum Candidatum ad id honoris fastigium educere non aliter quàm serva-

tis

auferendis concedimus. Progreditur *Rutger*. Nec mirum, ait, quia & aliis favoribus Doctoribus concessis privantur. *Nam in simili*, si statutum loquatur, ut non nisi Doctores vel Licentiati in Collegium vel Ordinem Ecclesiasticum vel Civilem compleetitur, qualia multa sunt in Germania & Francia; hoc casu non admittendos Bullatos certum est. Verùm hoc facti, si hoc prætextu excludantur, & non juris est, nec spectandum quid hic vel alibi fiat, sed quid fieri debeat *l. 12. ff. de off. præsid.* Nam si eruditio hunc honorem mereatur, Bullâ seu Universitatis testimonio innixus Doctor veniat; ex jure eum admittendum esse evincitur rationibus paulò post sequentibus. Quo ipso similiter concidunt, quæ *Rutger.* addit, quod scilicet in numerum Cameræ Adsessorum non recipiantur, de quo tamen nobis nihil constat: nec à collectis immunes sunt juxta *Guidon. Pap. decis. 388.* nec Nobiles reputantur. Nam ex jure nostro ad eversionem objectorum pro affirmativa sententia sic argumentamur: quicunque moribus & facundia excellit, is ex Juliani Imperatoris constitutione ad gradum Doctoris admittitur *l. 7. C. de Profess. & Medic.* circa Bullatum Doctorem, & morum & facundiæ excellentiam ponimus, siquidem si utroque destitutus titulum obtinuerit, non ex eo quod Bullatus Doctor, sed mitratus asinus est, rectè privilegiis Doctorum privabitur. Nam & Nostrorum communi calculo, si ritè recteque in Academiis promotum morum & facundiæ elegantia non commendet, conclusum extat, propter apparentem insufficientiam Doctoratus insignibus spoliari posse *arg. l. 1. ibid. Bart. C. de Profess. & Med. Jacob Benius d. tr. §. 2. in prœm.* Nec Doctor indoctus frui debet privilegio Doctorum, ait *Petr. Gregor. l. 18. de Repub. c. 9. n. 9.* Atqui dixeris, Julianum velle, ut judicio ordinis promovendus decretum Curialium mereatur optimorum consensu conspirante, & rectè. Hinc secunda nobis profluit probatio: Jubet Imperator, quia singulis Civitatibus adesse ipse non potest, verba sunt *d. l. 7.* ut quisquis docere vult, judicio ordinis probatus decretum Curialium mereatur? quapropter ex rationis identitate, quia Imperator ubique locorum Imperii esse nequit, & potestatis

ſtatis plenitudine, quâ ordini Curialium in civitatibus poteſtatem eligendi Magiſtros & Doctores dedit, rectè etiam Comitibus Palatinis facultatem hanc conſpirante optimorum & Doctorum ad hoc rogatorum conſenſu largiri poteſt. Et pro tertia ratione notamus: Si Imperator facultatem Comiti dare poteſt, utique is eandem rectè exercere poterit, ſunt enim hæc conſequentia, concedere quod fas, id exercere nefas dici nequit. Atqui nemo dixerit Imperatori hanc facultatem Comiti tribuere fas non eſſe, *Regn. Sixtin. c. 2. n. 23. de Regal.* quod præter quotidianam experientiam probatur reſcriptis Imperatoris, quibus cavetur inſtar ſacrilegii eſſe diſputare de principali judicio *l. 3. C. de Crim. ſacrileg.* Bullatum autem noſtrum elegit Imperator, etſi non per ſe, per alium tamen, qui vice ipſius fungitur. Nam cum, ut ait *Seneca de conſol.* humeris Principis totus innitatur orbis, unius autem ingenium tantæ molis capax non ſit, in vicem curarum alios, qui in quibusdam partitionem earundem cum ipſo inſtituerent, vocari neceſſe fuit, quod exemplo Academiarum pro Quinto demonſtrari poteſt, quæ quia Princeps omnibus locis adeſſe nequit *d. l. 7. C. de Profeſſ.* ipſius authoritate Doctores creant: Doctorare, ait, *Petr. Gregor. Tholoſ. d. l. 18. c. 9. n. 8. de Republ.* aut privilegiare ad Imperatorem origine pertinet & Univerſitates privilegia tantum ejus authoritate concedunt: pari itaque & ſimili ratione, ſi autoritatem Comiti Imperator tribuat, is ad inſtar Univerſitatis concedentis autoritate Doctores creabit, ſiquidem in privilegiorum Doctoralium conceſſione non conferentem ſed primum eorundem concedentem, qui Imperator eſt, reſpicimus. Progrediamur ſextò Comes Palatinus creare poteſt Poetas, quod Univerſitas non poteſt. Et in hoc eſt auguſtior Comitum quorundam poteſtas, qui ſi per Imperium nomen & privilegia eadem cum ipſis, qui à Cæſare coronantur, habent, nulla ratio eſt, cur eorundem Doctores ab iis, qui in Academiis renunciati ſunt, privilegiorum intuitu ſeparari debeant, quia origo poteſtatis ab eodem fluit. Quodque ſeptimò vel maximè juris ratione congruit, quæ non curat medium, dùm modò rei effectum habeamus *l. in condition. ff.*

de

decendit. & demonstr. Decius consil. 227. Medium est scientiæ probatio, quo scilicet promotorum dignè gradum suscepisse claruerit. Nam solennia Doctorum & Licentiatorum, ait *Caspar Boenia c. 16. n. 136. de inop. debit.* non professione vel eruditione sed pecuniâ quæruntur, nemo enim offert pecuniam, ut non detur Doctoris titulus. At non omnes eruditionem habent ad prælegendum publicè: quare rectiùs dicuntur, qui Doctrinæ validis suffulti præsidiis docent, quàm qui annulo & pileo accepto Doctoralis dignitatis Codicillos ostendunt, & nihil minus sunt Doctores &c. Et ideò si Bullatus servatis servandis se dignum eo, quem petit honorem, ostenderit, cur non iisdem privilegiis, quibus promoti in Academiis, frueretur. *l. 7. C. de Profess. & Medic.*

VI.

Quænam causa Imperatorem ad promulgationem Bullæ impulit?

Eousque ambitio, ait *Dubrav. l. 22. hist. Boemic.* illorum etiam Principum, qui se Electores vocant, exarserat, ut primum sibi quisque locum, præcipuamque authoritatem in eligendo assidendoque vindicaret, nedum ut alius alium in honore deferendo præveniret, unde simultates inter illos & aliquoties cædes ex domestico illo dissidio suscitabantur. Tu quidem invidia, ait Carolus *in proœm.* Christianum Imperium à Deo instar sanctæ & individuæ Trinitatis fide, spe & caritate, virtutibus Theologicis roboratum, cujus fundamentum super Christianissimo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, quod velut serpens in palmites Imperiales, & membra ejus propinquiora impio scelere vomuisti, ut concussis columnis totum ædificium ruinæ subjiceres, divisionem inter septem Electores sacri Imperii, per quos velut septem candelabra lucentia, in unitate Spiritus septiformis sacrum illuminari debet Imperium, multoties posuisti: Et ideò cùm omne regnum inter se divisum, ut *in princ. hujus Bullæ ait Imperator*, desoletur necesse, uti nec insuperabilem Rempubl. arma, non pecunia, sed unanimus publicus decoris consensus, *teste Jovio*, efficiat: ad unita-

B tem

tem inter Electores fovendam & electionem unanimem inducendam, ac detestandæ divisioni, variisque periculis ex ea sequentibus aditum præcludendum, approbante Senatu Principum & aliorum Ordinum ita discrevit, ut nullus de jure suo tanquam imminuto queri potuerit; sed contra potiùs, ut tenuiores cum potentioribꝰ se quodammodo æquari gavisi fuerint. Sic item vetera Cæsarum de eligendo Rege Romanorum placita renovavit, ut in hodiernum diem Carolina sanctio de mandandis suffragiis sola apud Principes viteat, vigeatque. *Thuan, l. 2. circ. princ. histor.*

VII.

Poteſtnè Imperator eam, si velit, abrogare?

Quod quidem dicendum videbatur, cùm, quia legum generalium, qualis hæc est, promulgatio ad Imperatorem pertinet *l. 3, & l. 8. C. de LL.* cujus verò est promulgare, ejus etiam abrogare *l 35. ff. de R. Jur. l. 21. in princ. ff. de Legat 3.* Undè Moguntinus contrà Heinricum Imperatorem, quem meritum investivimus, ait, quare immeritum non devestiamus? Nùm quod Principum decreto impendere licet, eorundem authoritate tollere non liceat? *Helmold. in Chron. Schlavor.* tùm quia Imperator jura positiva, qualia hac Bullâ continentur, tollere potest *§. 11. inst. de jur. N. G. & C. c. proposuit ext. de concess prabend. Clem. 1. in infect. cum glossa de immunit. Eccles. l. 4. cum ibid. notis C. de LL.* tùm etiam, quia Carolus IV. non potuit subsequentes Imperatores obligare, propterea quod causam ab eo non trahant, habent enim Imperium per Electionem *l. 9 ff. locat. c. dilecto de prabend.* ut in specie arguit *Florent. de Venning. inter cons. Claud. Cantiunc. cons. 16. n. 193 Balth. Ajala c. 7. n. 10 l. 1. de vir. & off. bel.* Nec per parem obligare poterit *l. 4. & 6. ff. de recept. arbitr. l. 14. ff. de Jurisd.* nec pacto antecessoris ligatur successor *Rucker inter cons. Claud. Cantiunc. cons. 14, n. 14.* adeò ut nec Electores Imperii futurum Imperatorem in Electione & coronatione adstringere pactionibꝰ onerosis possint. *Florent, de Venning. d. cons. 16. n. 201.* Habet enim duplicem pote-

potestatem, absolutam & Ordinariam, hujus quidem intuitu est sub potestate legis, illius verò non item; nec quoad observantiam, nec quoad vinculum in jure positivo. *Floren. de Venmag. d. cons. 16. n. 250.* Nos negamus, si enim ejus est saltem abrogare, cujus promulgare: sanè nec Imperator hanc Bullam abrogare poterit, quia non solo Imperatore auctore, sed [illegible] habet, Assidentibus, Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum numerosâ promanavit multitudine, ita ut omnium eorum in destructione, si quidem eam abrogari vel in nonnullis immutari velimus, quorum in promulgatione authoritas & consensus interveniat, necesse sit. Deindè Politicorum communi consensu receptum est, fundamentales Imperii leges nec mutari, nedùm abrogari sine corruptione status publici posse. *Bodin. 1. de Republ. c. 8. Alber. c. 6. in Polit. Heig. lib. 1. quæst. 5. n. 2.* Et ideò cùm lex nostra Imperii fundamentalis sit, hoc est, talis sub qua Imperium constitutum est & quâ tanquam fundamento ex consensu communi & approbatione nititur, *Heig. d. q. 5. n. 2. Petr. Greg. lib. 7. de Repub. c. 19. num. 17. vers. possumus dicere*, & quâ salus dignitasque totius Imperii continetur, ut ait *Pruckm. §. solum potestas effect. 3. n. 3.* Cujusque authoritas in dubiis meritò sequenda *Hartm. Maur. de Coron. Caroli V. tit. quo apparatu.* & cui semper stare oporteat *Heig. d. q. 5. n. 1.* & quâ qualescunque Romani Imperii reliquiæ, illique ferroluteí pedes utcunque continentur & à dissolutione & ruina adhuc conservantur. *Freher in orat. 2. de propr. gubernat. Frider. IV.* Consequitur, eam voluntate Imperatoris abrogari non posse. Undè tertiò inter cætera, quod Auream Bullam mutare non velint, adpromittere coguntur in capitulatione *Schl. l. 1. & 8. de Stat relig.* Quartò denique mutatione vel abrogatione hujus Bullæ de proclivi in antiquam sylvam dissensionum principalium rediretur. Nam alius si induceretur ordo, periculi res plena erit, quia non ignotum quàm Magnates terminos dignitatis antiquos ipsis moveri ægrè ferant.

IIX.

Cùm in proœmio Carolus dicat, quod in Nobilium et Civitatum multitudine numerosa Bulla nostra perlata sit, de duobus quæritur? Et quidem 1. De Nobilibus immediatis, an illi etiamnum Jus Comitiorum habeant? Nam quod olim ad Comitia admissi sint, argumento est *Bulla nostra in proœmio & Recess. An. 1442.* sed insecutis temporibus eos ad Comitia non vocatos fuisse, argumento sunt *Recess. Imperii de Anno 1495. in princ. & Anno 1500. in princ.* & subsequentium relectio ostendit. Necquicquam officit, quod Nobiles illi immediatè Imperio subjecti sunt, siquidem diversa sunt, Imperii immediatum esse, & statum esse, sicuti exemplo Regis Bohemiæ constat, qui quidem immediatè Imperatori subjectus est, non tamen status est, *Magnif. & Nobiliss. Dn. D. Præses in pereleganti suo tract. de Comitiis c. 4. n. 2. 4. & seq.* Principes Italiæ ut & Civitates nonnullæ immediatè recognoscunt Imperatorem, *d. c. 4. n. 76.* sed tamen status non sunt.

IX.

Alterum est de Civitatibus Imperialibus, an illæ jus Comitiorum habeant?

Et quidem si quæstio ita formetur, nùm Civitates jus votandi habere debeant? Dicendum id etiamnum id rectè affirmari posse; nam cum illæ in partem onerum Imperio incumbentium vocentur, cur non & pari cum aliis statibus voti honore fruerentur *l. 10 ff. de R. Jur.* At, si quæstio ita formetur: An hodiè in Comitiis Civitates etiamnum votum decisivum habeant? negandum id erit; nam Electores & Principes, ubi circa punctum propositionis concluserunt, solent inter se, non vocatis Civitatum nuntiis, referre, si consentiant, punctum pro concluso habetur, si verò inter se dissentiant, Cæsari utraque pars votum suum refert, nec possunt nuncii Civitatum voto suo alterutri parti accedere, perque hoc pluralitatem, quod tamen effectus est voti decisivi, facere, qua de re *Ludov. Grempius & Hieron.* zum Lamb/ Civitatum

rum Syndici & Consiliarii *in suis Consiliis desuper editis* conqueruntur, *Magn. & Nobil Dn. D. Pres. in cit. tract. de Comit. c. 7. n. 147.*

X.

Quo loco promulgata hæc Bulla est?

Quamvis in princ. hujus Bullæ dicatur, quod in solenni Curia seu Comitiis Norinbergæ edita sit, adeoque cum hac opinione Præstantissimi JCti *Petr. Heig. l. 1. q. 4. n. 10. Cothman. consil. 4. n. 11.* & probatæ fidei historici transeant, *Thuan. l. 2. histor. Bucholtz. in Chron. Anno* 1356. *Crus l. 5. p. 3. c. 5. Annal. Suev.* Existimat tamen *Peucerus l. 5. Chron. in Carolo IV.* Metis eam promulgatam esse, reversus in Germaniam, ait, conventum egit Principum celeberrimum & frequentissimum in urbe Metensi, in qua re sapienter & multùm deliberata & disputata cum præcipuis Ordinibus Imperii, conjunctis in unum atque digestis in ordinem institutis ac moribus antiquis ac recentibus ad Imperii decus & Majestatem pertinentibus condidit legem Carolinam, Aureæ Bullæ nomine notam ac celebrem &c. Cujus opinioni suffragare videtur Bulla Sigismundi Imperatoris, quæ extat apud *Goldast. tom. 1. p. 166. c. 1. in verb.* In dem Gesetz seiner Keyserlichen gülden Bull vor zeiten zu Metz gemacht. Suffragari itidem videtur illud, quod legitur *c. 24. hujus Bullæ:* infra scriptæ leges, habet textus, promulgatæ sunt in Curia Metensi. Sed, si per temporum distinctiones processerimus, non uno sed duobus in locis constitutiones hujus Bullæ emanâsse apparebit. Error priorum, ut & *Peuceri* ex eo ortus videtur, quòd non satis attenderint ad verba *d. c. 24.* quæ ut satis disertè infra scriptas & seqq post *d. c. 24* Constitutiones Metis promulgatas esse innuunt, ita priores Norinbergæ juxta *princ. Bullæ* editas *Peucerus* advertere debuit. Quod ipsum quoque clarissimè ex verbis *c. 12.* hujus Bullæ apparet: Hinc est, ait Imperator, quod in solenni Curia in Nurnberg celebrata &c. Et cùm ibidem ad annum sequentem in civitate Metensi Curiæ seu Comitiorum celebrationem remittat, non dubium est, illas, quæ à *c. 24.* sequuntur, prioribus adjectas esse, atque ita ex diversis Constitutionibus sub Aureæ Bullæ nomine hæc sanctio pragmatica *Anno* 1356. emanavit, *Bucholtz. d. loc.*

9

I.

An Imperator Comitia absq; Electorum consensu indicere & celebrare queat?

Distinctè hîc procedendum, aliàs decisio non erit futura. Olim Imperatores sine Electorum cõsensu Comitia indicere potuisse, indubiè verum est multisq; Recessuum Imperialium locis clarescit. Sic enim *Fridericus III. in reformatione sua Anno* 1442. *instituta* loquitur: Darumb insonderheit her zu vns zukommen geboten vnd geheissen habe ꝛc. *& Ordinatione Trevirensi & Coloniensi Maximiliani Anno* 1512. *ita*: So haben Wir Churfürsten / Fürsten vnnd andere Stände des heiligen Reichs zu vns anfänglich gen Trier auff einen gemeinen Reichstag erfordert ꝛc. *& Recessu Augustan. Anno* 1518. *ibi*: Vnd darauff Churfürsten vnd andere Stände zu vns daselbst hinerfordert ꝛc. Verùm aliud hodiè obtinet. Nam cum Imperatores non rarò pro lubitu nullâque necessitate urgente Comitia indicerent, bella obtenderent eorumq; nomine tributa exigerent; ideò hac in parte Electores nimiam Imperatorum licentiam restrinxerunt & Carolo V. in Capitulatione primitùs præscripserunt, ne sine consensu eorum Comitia indiceret. Et hoc à Caroli V. temporibus in Imperio nostro huc usque laudabiliter observatum fuit. *Recess. August. Anno* 1559. *vers.* Derowegen Wir auff vorgehabten stadlichen Rath ꝛc. *Recess. Ratisp. Anno* 1567. *vers.* Weil Wir aber Churfürsten etc. *Recess. Spirens. Anno* 1570. *vers.* als haben wir nicht vmbgehen mögen ꝛc. *Magnificus & Nobilissimus Dn. D. Præses in laudato tract. de Comitiis c.* 3. *n.* 11. *& seqq.*

II.

An Imperator Electorem aliumve Imperii

Statum

Statum absq; ordinaria causæ cognitione jure proscribere possit?

Negantibus calculum nostrum adjicimus, moti Capitulatione Imperatoriâ in qua claris, disertis & minimè ambiguis verbis Imperator religioso sacramento Imperii Electoribus pollicetur: *se obviare & impedire nec ullo modo concedere velle, ut aliquis ex Ordinum Statuumq; numero, sive Elector, sive Princeps aut alius sine causa, inauditus proscribatur, damnetur & declaretur: sed allaboraturum, ut in Hoc, secundùm Ordinariam juris normam & Imperii Constitutiones ex præscripto reformatæ Ordinationis Cameræ procedatur;* Additâ hac clausulâ: *si quid contra Hoc, vel alia Capitulationis capita, susceptum & actum fuerit, illud omninò nullum, irritum & vanum esse debeat.*

III.

An Imperator jus habeat Reges Principesque creandi?

Quod Reges creare posſit, omninò statuimus. Quemadmodum enim antiquitùs Imperium Romanũ Reges dedit Judæis, Syris, Parthis, Albanis, Colchis, Iberis & aliis, ut testis est *M. Freher. in not. ad Petr. de Andlo. lib. 2. c. 8. de Imper. Roman.* ita quoq; posteaquam illud Imperium ad Germanos est translatum & devolutum, eadem potestas mansit multiq; Reges creati sunt, idq; testantur Historici fide dignissimi *Chytr. Chron. Saxon. lib. 1. fol. 36. Peucer. 4. Chron. fol* 773. & alii. De Principibus non est quod dubitemus, qui enim potest majus, potest etiam minus *l. 21. & l. 110. ff. de R. J.* Atqui Imperator, ut satis demonstravimus, potest Reges creare. E.

Ad

Præstantissimo atq; doctissimo Dn. Respondenti amico singulari gaudere.

SChelhasi, Sophiæ non ultima portio quondam
ludorum plenis puro de fonte sitellis
maximi Aristotelis sitibunda vireta rigasti
ingenii. Astrææ species pulcherrima totum
postea te cepit. Cultum hujus sedulus urges,
cùm Phœbi rutilo mundus splendescit ab auro,
argentum medio Phæbes cum videt olympo.
Nulla quies, nullam novit solertia pausam.
Diffugêre nives, mox lætis gramina campis
prodibunt, vernumque replebit floribus annum
florea diva. Themis ternis conjuncta puellis
tempora tam chari calthâ præcinget alumni
atque rosis violisque immortalique amarantho.

Daniel Stahlius P. P.

EN acclamo tibi Veterum FELICITER illud,
Publica quòd Themidos pulpita rursus adis.

Contubernali & Commensali meo animitùs charo
gratulat. ergò adjeci
Fridericus Wilhelmus à Wolckstädt
Eq. Thur.

DUm te juridicam rursus pressare cathebram
SCHELHASI video semper amate mihi,
Ecce tuos meritò sic carmine ad astra labores
Doctos extollo sicut & ipsa Dice.
Porrò si sequeris, quo te vocat inclyta virtus,
Accipies meritis digna brabeia tuis.

ita Consalino suo debiti honoris &
amoris ergô adpl.
Johan. Casp. Unrath/ Henneberg.

JUSTINUS SCHELHASIUS.

Anagramma.

HEUS JUS! HINC SIT SALUS.

HEus jus! *quod Themidos repetis* JUSTINE *cathedram*,
Hinc *optata comes* sit *tibi diva* salus.

Contubernali ac Consalino suo perpetim amando
gratulabundus apposuit
Johannes Freißleben Altenburgô-Misn.

FINIS.